



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

4. De 5. Beatitudine. Beati misericordes

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

sacra fame & siti iustitiæ solliciti  
mundi delicijs, carnisque illecebris  
avidissimè inhiant, & nihil, nisi novas  
voluptatum umbras captant, & som-  
niant, quando cum diuite Epulone  
guttulam aquæ petente æternum vo-  
ciferabuntur: *Crucior in hac flamma!*  
Quàm prælibare etiam in hac vita,  
velint, nolint, coguntur, dum frustra,  
quod optant, captant, cum filio pro-  
digo siliquis porcorum inhiant, ster-  
cora amplexantur, & nullis vnquam  
cupedijs, nullis delicijs saturari se  
posse experiuntur. Feruor proficiendi  
& media necessaria seriò adhibendi,  
horror voluptatum & vanitatum  
mundi.

IV. De 5. Beatitudine. *Beati mise-  
ricordes.*

**I**EXPENDE, in quo consistat miseri-  
cordia, quinto loco in scala cœli  
à Christo collocata, videlicet in ope-  
ribus misericordiæ tam spiritualibus,  
quam corporalibus exercendis 1. La-  
tissimè, quoad omnes omnium, quo-  
rumcunque proximorum, etiam in-  
gratorum, & inimicorum, miseras,  
mentis

mentis & corporis affectu & effectu subleuandas. 2. Purissime, quoad intentionem honoris, amoris & beneplaciti Dei, qui eos condidit, dotauit, redemit, hucusque conseruauit, & porro conseruare, sanctificare, & glorificare paratus est. 3. Intensissime, quoad eximium commiserationis & dilectionis affectum. 4. Constantissime, quoad omnes difficultates in hoc exercitio, etiam cum vitæ periculo frequentando, & diu continuando occurrentes, inuicto animi robore peruincendas. 5. Infatibilissime, quoad desideria vires longè excedentia, semper perfectius eadem misericordię opera exercendi.

O quam plana & secura talis misericordię exercitatio, est ad cœlum via! Feruor perfectè obeundi opera misericordię.

II. Quam immensa, pura, intensa, constans, & infatibilis fuerit misericordia Filij Dei ex misericordia Incarnati, de quo Apostolus: *Habemus Pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia.* Heb. 4. Et D. Lucas: *Qui pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.* quàm meritò nobis ab ipso discendum: *Estote* Luc. 6.

*misericordes, sicut & Pater vestrorum coelestium  
misericors est: Zelus æmulandi.*

III. Quale præmium misericordibus  
sit promissum, videlicet in hac vita  
liberalis culparum commissarum con-  
donatio, a committendis misericordibus  
præservatio, & benigna a multis mi-  
serijs mentis & corporis liberatio: in  
altera benignissima pœnarum restan-  
tium relaxatio, plenissima ab omnibus  
omniò malis vindicatio, & libera-  
lissima omnium donorum gloria im-  
partitio; & quidem secundum me-  
suram operum misericordiae exhibi-  
torum, iuxta illud: *In qua enim men-  
sa mensi fueritis, remetietur vobis.*  
quale immisericordibus intentatum  
supplicium, videlicet *iudicium sine mi-  
sericordia illi, qui non fecit misericordiam*  
adque tam in tempore quam æterni-  
tate. Desiderium in misericordiae  
operibus excellendi, &  
contrarios defectus  
præcauen-  
di.